

9/18.

9/

1783 8

ORDINIS IVRIDICI
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T. DECANVS
MARTINVS GOTTLIEB
PAVLI D.

CODICIS PROF. PVBL. ORDIN. CVRIAE PROVINC.
CONSISTOR. ECCLESIAST. SCABINAT. ET
FACVLTAT. IVRIDIC. ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

ORDINARIAT

ACADEMIA WITTENBERGENSIS

MARTINVS GOTTFR

PAVLVS

ORDINARIVS

ACADEMIAE WITTENBERGENSIS

SECRETARIVS

LEIPZIG



DE
FORO CLERICORVM COMPETENTE
IVRA SAXONICO - ELECTORALIA
NOVISSIMA.

Vix vnus et alter praeterlapsus est dies, cum muneris mei ratio mihi imponeret necessitatem, forum clericorum, quod vulgo dicitur *privilegiatum*, paullo curatius cogitandi, et, quid iure nostro ea propter sancitum sit, diligenter examinandi. Haec mecum dum meditabar, ac recenti memoria agitabam, accessit ad me *Nobilissimus at-*



que Doctissimus IOANNES SAMVEL STRAPHINVS, pau-
 cis ab hinc diebus recens et summa cum laude ab Ordine no-
 stro creatus Candidatus Iuris, atque, exposito suo, summos in
 arte nostra honores ab Ordine nostro popediem obtinendi,
 desiderio, simul mihi, h. t. Decano, non nihil pro more, ex-
 temporali quamuis facilitate, commentandi necessitatem im-
 posuit. Non passus sum me abstrahi ab isto satis celebri Iu-
 ris nostri loco, idque ideo, quia partim intelligebam, neuti-
 quam eum ita vbique in aprico esse positum, vt nulla amplius
 caligine prematur, partim vero etiam quia *summus Saxoniae*
Electoralis Legislator anno superiore Consistoriis Ecclesia-
 sticis certam praescripsit normam et regulam, secundum quam
 istae, paene dixerim, aeternae controuersiae, quae hucusque
 iudices inter ecclesiasticos et saeculares non sine omni seruo-
 re et iracundia agitatae sunt, diiudicandae in posterum atque
 vtriusque iurisdictionis fines regundi. *Regulativ, wornach*
die zwischen der Geist- und Weltlichen Gerichtsbarkeit
abgewalteten Irrungen zu decidiren sind. Haec celebris
 dispositio nouam veluti continet decisionum Electoralium col-
 lectionem, quae quidem ex pluribus constat quasi capitibus,
 quorum tamen singula turbatos hucusque iurisdictionis eccle-
 siasticae et saecularis fines concernunt atque suo quosque loco-
 collocant. Ceterum singulas has iuris nostri controuersi de-
 cisiones hoc loco recensere omnes, non est mihi in animo,
 neque



neque huius disputatiunculae limites id permittunt, sed ex iis hodie quaedam tantum excerpere, atque ea in primis capita, quae forum clericorum priuilegiatum in specie tangunt, delibare, ab hoc loco peropportuno fortassis haud erit alienum. Quinam autem in rebus publicis Christianis inde ab antiquissimis temporibus *Clerici* dicantur, quot olim fuerint, aut adhuc hodie sint, apud Protestantes praesertim, eorum classes, & quae sit origo famosissimae istius Christianorum diuisionis in *Clericos* et *Laicos*, alia vt taceam, ea omnia, utpote in vulgus nota, hoc loco non curo. Magni autem interest, meminisse, per Clericos, hoc in primis loco, non eos vnice intelligi, qui ad sacra ministeria functionesque ecclesiasticas per ordinationem sunt constituti, sed praeterea quoque scholarum ministros omnes, custodes templorum, ludimoderatores, eorumque omnium vxores, filios filiasque familias, in patria potestate adhuc constitutos, famulos. Multis magnisque immunitatibus et priuilegiis primi iamiam Imperatores Christiani exornarunt et condecorarunt eius aeui clericos, prouti ex *Codice Theodosiano et Iustiniano* inter omnes abunde constat. Inter omnes has immunitates autem eminent fortassis *priuilegium fori*, quia *fas non esse*, existimabant veteres Christiani, *vt diuini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio*. Has immunitates successu temporis pontificum Romanorum superbia adeo adauxit et ampli-



plificauit, vt earum summa tandem in immensam cresceret vitiorum voraginem. Bene itaque sapienterque Principes Protestantes temporibus reformationis et restauratores religionis Christianae hoc quoque veluti Auginae stabulum repurgarunt feliciter. Tantum vero abest, vt priuilegia clericorum et immunitates, quas veteres Christiani Imperatores pia mente iis concesserunt, tempore reformationis penitus fuerint abrogatae, vt potius Principes protestantes hac quoque ex parte Pontificiorum tantum abusus tollerent, quae emendanda, emendarent atque corrigerent, atque prouiderent, ne quid respublica, vti olim, exinde detrimenti capiat. Iura nostra Saxonica Electoralia eius rei insigne exhibent et praestantissimum documentum. In *Ordinatione* enim *Ecclesiastica* singularis et bene longus exstat *Titulus*, huic doctrinae destinatus, qui inscribitur: *Von Immunitatibus und Freyheiten derer Kirchen- und Schul-Diener.* Codic. August. Tom. I. p. 534. fqq. cuius §. 1. verb. *und anfänglich* nec non §. 2. verb. *Was aber de foro Clericorum*, prouti vulgo dicitur, *priuilegiato* vnice sermo est. Ceterum *Ordinatio Ecclesiastica* atque *Iura nostra Saxonica Electoralia* non in omnibus in vniuersum causis Clericis exemptionem ab iurisdictione Iudicis saecularis atque ciuilis concedunt, imo potius cessat hoc priuilegium fori in causis clericorum criminalibus, quae poenam merentur vel capitalem, vel corporis



poris afflictiuam, *Carpzonius Iurisprud. Consistor. Lib. III. Tit. I. def. 5.* atque delictorum leuiorum tantum, quae *excessus* dici solent vt plurimum, cognitio ad Consistoria Ecclesiastica pertinet. Porro cessat hoc priuilegium fori in actionibus realibus, quae, siue actor sit Clericus, siue reus, coram iudice rei sitae sunt instituendae. *Carpzonius loc. cit. Libr. III. Tit. I. Defin. 7.* Tandem illud quoque cessat in omnibus causis ciuilibus, in quibus Clerici actoris sustinent personam, ob peruulgatam Iuris regulam: Actor semper sequitur forum rei. *l. 2. C. de Iurisdict. omn. iudic.* His itaque praemissis, facili negotio intelligi potest, Clericorum forum priuilegiatum in causis potissimum personalibus et pecuniariis, quando reorum sustinent personam, habere locum, eosque tunc, etiamsi res, vel obiectum litis negotium mere ciuile concernat, non nisi coram Consistoriis Ecclesiasticis, tanquam iudice competente, conueniri posse. *Deylingii Instit. Prudent. Pastor. Part. II. Cap. III. §. 33. 34.*

Sed hoc forum Clericorum priuilegiatum iudices ciuiles et saeculares haud raro non tantum in dubium vocare, sed infringere quoque, atque Clericos non nunquam suae iurisdictioni subire conantur, neglecta prorsus Consistoriorum Ecclesiasticorum auctoritate. Fieri hoc solet nonnunquam, atque factum vere est, quando in vna eademque cau-



sa personali et pecuniaria Clericus et Laicus coniunctim est conueniendus. Oblato enim ab actore iudici saeculari libello, hic sine mora citationem decernit, atque non Laicum tantum, verum et Clericum reum in ius vocat, atque hac ratione partim per praueuentionem, partim vero etiam ob causae connexionem, vel veram, vel fictam, eum suae iurisdictioni ciuili, vel saeculari subiicere conatur. Hoc itaque ne amplius, aut saltem ne indistincte fieret atque promiscue, *summus Saxoniae Electoralis Legislator* in dicta lege nouissima eiusque *capite IV.* quod inscribitur: *Das Forum der Clericorum, da selbige, nebst Laicis, Beklagten Stelle vertreten, betreffend.* omnem hanc iudices inter ecclesiasticos et saeculares haud raro agitatum controuersiam hunc in modum definiuit: *Wo Actio personalis angestellt wird, und keine Connexitas causae vorhanden ist, sollen die Geistlichen von den übrigen Beklagten abgefondert, und die Klägere deshalb an ihr ordentliches Forum verwiesen werden. Ausserdem aber und wo Connexitas causae keine Trennung verstatet, als bey Reconventionen, Concurfibus creditorum, actionibus realibus et in rem scriptis, haben die Clerici, gleich denen Laicis, vor dem weltlichen Richter Recht zu nehmen.* Frequentissimae quoque erant olim quaelibet Clericorum, quae propterea ad Consistoria Ecclesiastica deferbantur, quod in causis, *ad Politiam* pertinentibus,

Poli-



Policey-Sachen, ab magistratibus ciuilibus contra fas, contra omnes diuinas et humanas religiones inquietantur. Atque huic quoque malo medicinam parauit *Serenissimus Legislator noster* in ista lege eiusque *Capite VIII. Die Cognition in Policey-Sachen, wobey Clerici concurriren, betreffend.* atque has tergiuersationes iudicum saecularium hunc in modum definiuit: *Wenn in Policey-Sachen Clerici und Laici concurriren, sind selbige zu trennen, und jene bey ihrem geistlichen Foro, die Laici hingegen bey der Weltlichen Obrigkeit zu ihrer Obliegenheit anzuhalten, immaßen zwar die Rechte und Befreyungen der Geistlichen von den Consistoriis billig zu handhaben, jedoch die dargegen von Laicis beschehenen Eingriffe und Vergehungen, so wie die Contraventionen gegen das Mandat, wegen der Sabbaths-Feyer, von dem Weltlichen Gerichts-Stande in Untersuchung zu ziehen sind.*

Possessorium summarissimum vtrum in rei sitae, aut in ordinario Clerici et priuilegiato illius foro peragi debeat, de ea quoque re non vna est omnium Ictorum sententia. *Illustr. Prudentiae Pastoralis Deylingianae Editor Part. II. Cap. III. ad §. 34. not. d. in utroque, inquit, foro hoc fieri potest, tum quod possessio respicit fundum, tum quod factum turbatiuum tenet turbatores. Idem sentit Berge-*



rus in Oeconomia Iur. Libr. IV. Tit. IV. §. 3. not. 8. cum hac tamen restrictione, nisi causa, de qua controuertitur, sit ecclesiastica, eiusmodi enim causae, siue in possessorio, siue in petitorio tractentur, pertinent ad forum ecclesiasticum. Secus autem est dicendum de causis politicis, pergit Bergerus loc. cit. siquidem earum nomine contra clericum in rem agatur, tum enim forum ecclesiasticum domicili, et speciale rei sitae concurrunt electiue, igitur locus est praeventioni. Atque ita, causas ciuiles Clericorum et saeculares quod attinet, olim, ast per istam saepius allegatam Nouellam, eiusque Caput IX. quod inscribitur: Die Cognition in Possessorio summarissimo in Fällen, wo die Ansprüche derer Clericorum eigentliche Grund - Stücke betreffen, anlangend. res haec paullo aliter est decisa, scilicet: Kirchen- und Schul-Diener sollen in dem, was ihre eigenthümliche Erb-Güther, dinglichen Ansprüche und Forderungen betrifft, an Orten, wo andre Unterthauen Recht zu geben und zu nehmen schuldig, deren Austrag gewarten, und ist darunter auch in Possessorio summarissimo kein Unterschied zu machen, inmaassen dahin die Kirchen-Ordnung Sect. Von Immunitäten und Freyheiten derer Kirchen-Diener &c. erläutert wird.

His tandem omnibus vnicum adhuc ex ista celebri lege caput, in ordine vltimum et XXII. sed prae ceteris memo-

ratu



ratu dignissimum subiungo. Scilicet constans est in foris Protestantium, imprimis Saxonice Electoralibus praxis, in causis personalibus et ecclesiasticis clericos non tantum, sed eorum quoque vxores, filios filiasque familias, in patria adhuc potestate constitutos, a iurisdictione ciuili et iudicis saecularis cognitione esse exemptos. Ast quando moritur clericus et post se relinquit viduam atque liberos, cuiusnam iurisdictioni ea, tanquam vidua tunc, atque pupilli sint subiecti, an iudicis ciuilibus, an potius ecclesiasticis, imprimis quando alium in locum se conferunt, de ea re haud raro olim inter iudices ecclesiasticos atque saeculares acriter disceptatum esse, memini. Ast hodie per istam Nouellam eiusque *Caput vltimum*, quod inscribitur: *Die Gerichtsbarkeit über der Geistlichen Kinder nach der Eltern Tode betreffend*. haec quoque controuersia composita est, atque decisa. Ita autem *Serenissimus Legislatur* hanc litem definiuit: *Der Geistlichen Gerichtsbarkeit sollen*

a) *Die Wittwen der Kirchen- und Schul- Diener, in so ferne sie nicht eine andre Lebens- Art erwählen, Zeit- lebens,*

b) *Die Kinder aber, so lange sie unmündig sind, auch*

c) *So lange sie nach erlangter Mündigkeit in ihrer, unter Geistlicher Gerichtsbarkeit verbliebenen Mutter-*



ter Haushaltung bleiben, und nicht eine andre Lebensart erwählen, unterworffen bleiben, in allen andern Fällen hingegen findet keine Ausnahme von der ordentlichen weltlichen Obrigkeit statt. Plura addere atque singulas harum decisionum accurata et meditata commentatione illustrare, nullum mihi hodie ab officio publico vacat tempus. Nihil tamen fecius spero, fore vt vel sola haec et nuda harum decisionum cognitio lectoribus, quia eae nondum publici sunt factae iuris, non prorsus sit ingrata. Ad id nunc accedo, quod hodie mei est officii. Indicanda nimirum est Panegyris solemniss, atque Dissertatio Inauguralis, qua Candidatus Iuris meritissimus, quem in examinibus, experiundae eius doctrinae causa institutis, iuris scientia minime vulgari cognouimus instructum, ad summos in vtroque iure honores rite legitimeque consequendos, viam sibi parare decreuit. Est autem ille

NOBILISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS
IOANNES SAMVEL STRAPHINVS

GORLICIO - LVSATVS

qui de rebus ad se pertinentibus, deque vitae suae ratione studiisque laudabiliter peractis ipse haec retulit:

Natus



*N*atus sum Loebaviae, Lusatia in superiore sitae, anno huius saec. LX. die XVII. April. patre viro praeclarissimo atque indulgentissimo, FRANCISCO SAMVEL STRAPHINO, mercatore, Matre autem, CHRISTIANA GOTTLIEBE e Stirpe BLASERIA. Isti patri probatissimo, quem saluum adhuc maiorem in modum veneror, matre iamiam in infantia mihi per praematuram mortem erepta, omnem quamcunque educationem solertem atque ingenuam debeo; me enim priuatis doctrinis instructum in Lyceum Loebaviense dimisit, ubi doctissimi Rectoris M. HEINIZII aequae ac M. GÜTTELII de me merita praedico. Mutatis autem Laribus, celeberrimum Gorticense Gymnasium Augusteum frequentavi, sub viris meritis atque praeclarissimis, M. BAVMEISTERO Rectore NEVMANNO Conrectore, et GROSSERO Subrectore, quorum memoriam semper pie inuiolateque tuebor. Lipsiam postremo anno MDCCCLXXIX. accessi, nec non in numerum Academicorum Rectore Magnifico experientissimoque D. PLAZIO sum relatus. Hocce quidem per temporis spatium, quo Lipsiae sum versatus aures adhibui D. SCHOTTIO, Encyclopediam iuris, Ius Germanicum, Saxonicum



atque Canonicum explicanti: D. SAMMETIO, *Historiam iuris, Institutiones, Pandectas atque Ius publicum uniuersale enarranti*: D. EINERTO, *Processum et Artem referendi*, beato vero D. ZOLLERO, *Processum Saxonicum, profitentibus*: D. PÜTTMANN, *Ius Criminale ac Feodale exhibenti*: D. PLATTNERO, *Medicinam forensensem, Philosophiam atque Aestheticam declaranti*: D. GEHLERO, *Matheos doctrinam*, Prof. CAESARI, *Logice regulas*, Prof. WENCKIO, *Historiam uniuersalem*, Prof. WIELAND, *Ethices praecepta*, D. BIENERO, *Pandectarum*, D. KINDIO, *Actiones*, denique D. POHLIO, *disputatorium, tradentibus*. Quibus Studiis per quadriennium feliciter peractis adii Illustrem Ordinem Ictorum Wittenbergensem, rogans, ut me ad summos in iuris scientia honores admittat, cuius voti Amplissimus Ordo me etiam, quod grato agnosco animo, compotem fecit.


Hos autem summos in Iure nostro honores ut rite secundum Ordinis nostri instituta legitimeque consequatur, proximo die Mercurii qui est XVI. Mensis April. in Auditorio maiore, Praeside Viro Excellentissimo, Consultissimo, Amplissimo D. ERNESTO GOTTFRIED CHRISTIANO KLÜ-

GEL,



GEL, *Iur. Saxon. Prof. Publ. Ord. Facult. Iurid. Vitem-
bergenf. et Iudicii Prouincial. in Lusatiae Inferioris Mar-
chionatu Assessore*, Dissertationem Inauguralem *de Senatus
Consulto Velleiano seu de intercessione Mulierum* publice
defendet. Quem Actum solemnem vt RECTOR ACA-
DEMIAE MAGNIFICVS REIQVE PVBLICAE PRO-
CERES, nec non GENEROSISSIMI et NOBILISSIMI CI-
VES sua praesentia splendidiorem reddere velint, et Ordinis
nostri et Candidati et mei ipsius causa ea, qua par est, ob-
seruantia rogo.

P. P. Domin. Palmar. A. O. R. cIᵒIᵒCCCLXXXIII.




VITEBERGAE EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly faded.






Wittenberg, Diss., 1783-85




7
Sl.

1078







B.I.G.

Farbkarte #13

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue



9/

1783 8

ORDINIS IVRIDICI

IN

EMIA VITEMBERGENSI

H. T. DECANVS

INVS GOTTLIEB
PAVLI D.

F. PVBL. ORDIN. CVRIAE PROVINC.
OR. ECCLESIAST. SCABINAT. ET
VLTAT. IVRIDIC. ASSESSOR

TORI BENEVOLO

S. P. D.

